



Nf. 24.

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
ET
CANCELLARIVS,
IOANNES PETRVS
A LVDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS PORVS-
SIAE CONSILIARIVS INTIMVS,
CETERA,

AC

RELIQVI PROFESSORES,
CIVIBVS ACADEMICIS,
SIVE NATALIVM SPLENDORE, SIVE VIR-
TVTVM ET DOCTRINAE STUDIO FLO-
RENTISSIMIS,

*SPEM VIVAM LAETAE RESVRRECTIONIS
AD VITAM AETERNVM BEATAM,*

EX DOMINICA RESVRRECTIONE
EMERGENTEM,

IN PASCHALIBVS FERIIS

A. MDCCCXXX.

PIE MEDITANDAM,

HVMANITER COMMENDANT.

ci.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS LEHMANNIANIS.



ACADEMIAE FRIDERICIANAE
P R O R E C T O R
CANCELLARIUS
IOANNES PETRVS
LVDWIG
RECTOR P R O F E S S O R E S
CIVIBVS ACADEMICIS
SIVE NATALIVM SIVE DOMI
TIVM ET DOCTRINAE STUDIO
REMITTENS
SPM. XVIIII. LXXXV. REPERIENS
AD VIVAM ALIENAM REDEM
IX DOMINICALI RESECTIONE
EMERGENTIA
IN PASCHALIVS FERIAS
A G R O C O L A
I N T H E M A T I C A
H Y M N I C A
H A E C
L I T T E R A





F Iesum Christum, Dominum nostrum, tertia ab exantlatis passionibus suis ac morte die ex mortuis resurrexisse, & omnes in vniuersum homines nouissima die resurrecturos esse, *Ornatissimi Ciues*, id geminum doctrinae diuinitus reuelatae dogma tale est, vt qui vel hoc vel illud labefaciare ac in dubium vocare praesumeret, christiano nomine plane esset indignus futurus. Vtrumque non *apostolico* solum *Symbolo* profiteamur, tum quod Iesus Christus tertia die a mortuis resurrexerit, tum quod sit carnis resurrectio futura; sed etiam pii maiores nostri in *Augustana Confessione*, cuius saecularem memoriam Ecclesia Evangelica hoc ipso anno lata iterum celebrat, idem reperentes, Artic. III. de Filio Dei, *Vere*, inquit, *resurrexit tertia die*; & Artic. XVII. *Docent, quod Christus adparebit in consummatione mundi ad iudicandum, & mortuos omnes resuscitabit, cetera.*

Est autem resurrectionis dogma adeo quidem sublime, & praeterea corruptis maleque sibi consciis mortalibus inuisum, vt mirum non sit, siqui eius exstiterunt, & adhuc existunt, impugnatores ac temerarii negatores. Nam quod ad ethnicos attinet, Paulo, Athenis olim inter philosophos ac litteratissimos homines degenti, euenit, vt, quum in foro obuiis quibusque quotidie disseruisset, *quidam Epicureorum Stoicorumque Philosophorum*, disputatione cum eo congressi, dicerent: *Nouorum numinum videtur adnunciator esse: quia Iesum & resurrectionem adnunciabat ipsis*, Act. XVII, 18. Nec apud ipsos Iudaeos tempore Christi & Apostolorum eius defuerunt homines, qui, vt alia doctrinae reuelatae dogma-

dogmata, ita inprimis illud de futura corporum resurrectione proscriptum & eliminatum irent. Sadducæos inuimus, hominum genus profanum, ac propaginis Israeliticæ spumam veluti & scorias, qui teste Euangelista Matth. XXII, 23, negarunt, futuram esse resurrectionem; quique narrante Luca Act. IV, 1. 2. 3. Apostolis Domini, in templo ad populum loquentibus, manus iniecerunt, *quod ægre ferrent, eos docere populum, & aduinciare in Iesu resurrectionem ex mortuis*; ac denique (vt idem scriptor sacer Act. XXIII, 8. memoria prodidit) *negauerunt esse cum resurrectionem, tum angelum, tum spiritum*: non absimiles nostræ ætatis hominibus, qui vel hoc ipso supra vulgus sibi sapere videntur, si quo modo fundamenta celestis doctrinæ cauillationibus & captionibus suis vellicare & commouere adgrediantur. Sed quod omnium maxime mirandum est, in ipsa Ecclesia christiana primitiua existiterunt homines proterui, inque his *Hymenæus atque Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes, resurrectionem esse iam factam*, (nempe ex mente illorum tum, quum gentes, olim in peccatis mortuæ, per prædicationem Euangelii ad Deum conuersæ essent, quæ est resurrectio spiritualis) *& peruerterunt fidem quorundam, 2 Tim. II, 17. 18. Cuiusmodi impostores cum & in Corinthiorum ecclesiam irrepsissent, magno eos opere & zelo Apostolus 1 Cor. c. XV. toto coarguit.*

Quamquam autem diffidendum non sit, lumen rationis, quatenus solum, & sibi tantummodo relictum est, ad inueniendum tam sublime mysterium vix pertingere; adeo vt philosophis ethnicis, si vel maxime animorum immortalitatem admisissent, corporum resurrectio ne quidem in mentem venerit: tamen, vbi reuelationem sibi præluentem habet, adeo nihil absurdi in corporum nostrorum resurrectione deprehendit, vt potius, nisi seipsum sciens volensque obcæcet, (ad quod vero heu! nimium proclue est corruptum mortalium ingenium) assensum iusto titulo denegare nequeat. Siquid enim de prouidentia Dei, qua sapienter cuncta regit atque gubernat; si quid item de iustitia eius, qua singulis secundum opera ipsorum retribuit, adsequitur; & vero exempla passim extare animaduertit, vbi impiis in hac vita fausta omnia, iustis vero ac probis ad extremum vsque halitum aduersa quæque accidunt: igitur non solum non carpere potest dogma resurrectionis, sed etiam in illo inuenit, quod reuerenter habeat demis

demisseque admiretur; quum sic demum videat, iustitiam Dei conspicuam fore, si quis adhuc dies venturus esse intelligatur, quo Deus tum probis tum improbis, a morte resuscitatis, & quod ad corpus & quod ad animam, siue præmia siue pœnas pro meritis sit retributurus.

Interim, quantumcunque rationis lumen debile in hoc argumento sit, certe ex diuinis vtriusque instrumenti tabulis, hoc est, ex veteri & nouo Testamento, resurrectio mortuorum plane pleneque demonstratur: vt qui Mosi & Prophetis, Christo atque Apostolis, fidem habet, ambigere de illa nullo queat modo. Quam enim Arminianorum nonnulli asseruerint, veteris Testamenti promissa omnia fuisse temporalia tantum & carnalia, ad præsentem solum vitam spectantia; ac adeo quidquam ibi demortuorum resuscitatione reperiri negauerint; quanquam & improba Socini turba notitiam resurrectionis Veteri Testamento abjudicatum iuerit; & denique *Ioannes Chrysostomus*, doctor cetera meritisissimus, & Græcorum Patrum disertissimus, cuius hanc in rem loca apud *Suicerum* in *Thef. Eccles.* sub voce *ἀνάστασις* collecta exstant, eandem resurrectionem siue hominibus ante diluuium, siue omnibus in vniuersum sub veteri Testamento viuentibus, ad Lazari vsque tempora ignoram fuisse, inconsiderate magis & imprudenter, quam malo adfirmauerit animo: tamen aliter longesentiendum nobis est, si quidem veteris Testamenti loca reputemus, eaque ex multis pauca, v. g. *Psal. XVII, 15. Ego in iustitia spechabo faciem tuam, satiabor, cum euigilauero ex mortuis, specie tua;* *Iob. XIX, 25. Ego scio, quod Redemptor meus viuit, ac postremus super puluere staturus est. Cum igitur post cutem meam vermes conciderint hoc, quidquid est corporis mei, tum vero ex carne mea videbo Deum: quem ego videbo mihi, & oculi mei videbunt, nec peregrini:* ac denique *Dan. XII, 2. Multi, ex dormientibus in terra pulueris expergescentur, alii ad vitam æternam, alii vero ad probra, ad ignominiam sempiternam.* Vnde Apostolus *Hebr. XI, 35.* de quibusdam confessoribus veritatis, qui sub veteri Testamento vixerant, *Alii, inquit, sustibus ad mortem vsque cæsi sunt, non admittentes liberationem, licet a tyrannis sub conditione defectionis a veri Dei cultu oblatam, vt meliorem RESURRECTIONEM consequerentur.*

De Mose, scriptorum sacrorum principe & antiquissimo, forte dubitauerint nonnulli, num is dogma hoc, a Christo & Apostolis

stolis traditum, iam sciuerit, & in scriptis suis aliquid de iis perhibuerit? Is enim (si nonnullos audimus) de temporalibus tantummodo promissis loqui videtur; non vero de illis, quæ ad futuram pertinent vitam. Sed nimirum, qualia promissa Abrahamus ceterique ex piis Patriarchis, quorum vitas scripsit Moses, spectauerint, animoque suo proposuerint, id melius Apostolo nemo docuerit. Is vero Hebr. XI, 13. *Hi omnes, inquit, in fide mortui sunt, non consequuti promissiones, sed eminus eas conspiciunt, & salutantes, confestimque, se peregrinos & aduenas esse in terra. Qui enim talia dicunt, indicant, se patriam querere. Et si illam quidem cupissent, a qua egressi erant, habuissent vixque tempus reuertendi. Nunc vero meliorem cupiunt, hoc est, celestem: quare non erubescit Deus, ipsorum vocari Deus.* Etiam vltima patriarchali ætate, ante diluuium, iucundam resurrectionis ad æterna gaudia adumbrationem dedit Henochus, viuus ad calum, quod ad corpus æque ac animam, translatus, Gen. V, 24. Quo exemplo Deus innuit, fore, vt, quod Henochus ex singulari dispensatione præcepit, & sine præuia morte consequutus est, idem reliqui pii omnes post fata sperandum habeant, quisque tamen *in rō idō rōquari*, vt loquitur Paulus I Cor. XV, 23. Quid autem clamas cum Sadducæis, quasi de mortuis resurrecturis apud Mosen nulla omnino reperiretur siue vola, siue vestigium? Atqui magistrum audi, quo maiorem habemus nullum, eumque authentica voce impiæ Sadducæorum cohorti respondentem, Matth. XXII, 31. *De mortuorum resurrectione, inquit, nonne legis quod dictum est a Deo his verbis: Ego sum Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Iacobi. Non est Deus mortuorum, sed uiuentium Deus.* Quæ verba, cum ex altero libro Mosis (Exod. III, 6. 16.) deprompta sint, satis produnt, Mosen non minus, quam reliquos Prophetas, testem resurrectionis existuisse. Id autem argumenti, quum vterius declarare possemus, nunc, vbi intra programmatis cancellos conclusi sumus, tantisper cogimur seponere, ac de cetero haud illubenter largimur, id, quod Paulus Eph. III, 5. de mysterio vocationis gentium dicit: *non id innotuisse hominibus in aliis ætatibus, SICUTI NVNC REVELATVM SIT sanctis Apostolis atque Prophetis, resurrectionis mysterio pariter suo modo, adcommodari posse; ita vt id concedatur olim quidem, ac tempore V. Testamenti, non innotuisse; quonam vero modo? non simpliciter ac absolute, (hoc enim absit longissime!) sed comparate & secundum*

dum quid; nempe sic, ut reuelatum est nunc, tum per Christum ipsum, tum per Apostolos eius: utpote per quos dogma hoc in noua veluti, & multo maiore, quam fuit vnquam, constitutum est luce.

Quemadmodum igitur hæc pars felicitatis est temporum Noui Testamenti, quod, quæ Patriarchæ ac fideles sub V. Testamento, eminus & minore luminis gradu viderunt, ea nos e propinquo & multo perfectius contemplemur; sic nostrarum partium est, spem illam resurrectionis, quam expectamus, Saluatoris ac Domini nostri resurrectioni ita innectere, ut illam ab hac, tanquam effectum fructumque a causa, vnice deriuemus, grato animo agnoscentes beneficium, quod Paulus I Cor. XV, 20. his verbis prædicat: *Christus surrexit ex mortuis, primitiæque eorum, qui obdormierunt, factus est. Quandoquidem enim per hominem mors, ita per hominem resurrectio mortuorum,* & quæ hanc in rem ibi sunt reliqua Apostoli verba notatu dignissima.

Ceterum quum dicimus, resurrectionem nostram ex Dominica resurrectione tanquam fructum deriuandam esse, loquimur de resurrectione hominum, non generatim spectata, quatenus ipsis est improbis communis, sed speciatim, quatenus est piis atque fidelibus propria futura: illa videlicet, a qua, ceu eminenter dicta, hi qui aternæ erunt participes gloriæ, *fili resurrectionis* nominantur Luc. XX, 36. quæque ab Subiecto suo, *resurrectio iustorum* Luc. XIV, 14. a fine item & euentu, *resurrectio vitæ*, opposite ad *resurrectionem iudicii* seu condemnationis Io. V, 29. ac denique a qualitate, *resurrectio melior*, hoc est, faulta, læta, & ad aternam transmittens gaudia, Hebr. XI, 35. vocatur: digna, quam verusti Syriacæ nationis Christiani in vernacula sua versione Io. XI, 24. 25. semel iterumque *ΝΩΜΩ*, hoc est, *consolationem* seu *solatium* adpellarint: quia ut resurrectio impiis quidem horribilis, sic piis contra solatii plena; illis veluti porta inferni, ad sustinendos tum corpore tum animo sine fine cruciatus, his transitus erit, ac via ad aternam illam, quam Christus ipsis promeruit, gloriam adeundam.

Vos igitur, carissima Pignora, spes tum Reip. tum Ecclesiæ, quando paschalibus hisce feriis ex Mystrarum ore hanc resonare audieris vocem, *ὁ χριστὸς ἠγέρθη*, *Christus surrexit*, (id vero ut debita cum reuerentia a vobis fiat, cum animarum vestrarum sa-

lus

lus requirit, tum vel ciuilibus modestiæ leges imperant, tum nos
tanquam fructum docilitatis vestræ, pietatisque in Deum docu-
mentum, expectamus) in animum vestrum sic inducite, ista non
dicis causa narrari, sed in vestrum esse usum, inque salutem ve-
stram comparata. Quis enim vestrum, nisi qui bellum sibi indi-
xerit, & se oderit ipse, non cupiet partem aliquando habere in
læta illa resurrectione, quæ ad sempiterna ducet gaudia? Hoc ve-
ro si serio cupitis, in Christo querere debetis, qui quemadmo-
dum traditus est propter peccata nostra, sic suscitatus est propter iu-
stificationem nostri Rom. IV, 25. quique mortem aboleuit, vitam ve-
ro & immortalitatem in lucem produxit per euangelium 2 Tim. I, 10. ac
denique, quod solatium est summum, nos tandem ex sepulcris ex-
citos, secum ad gloriam ducet, vt, vbi ipse est, hi quoque sint, quos
elegit, Io. XIV, 3. plus nobis solaminis daturus, quam Noachus,
de quo pii patris exstat augurium Gen. V, 29. *Hic consolabitur nos.*
Modo noueritis, ac potius debita pietate ad animum reuocauerit-
tis, quod Paulus Rom. VI, 5. inculcat: *Quemadmodum Christus ex
mortuis surrexit per gloriam Patris, ita & nos, ex spiritali morte
resuscitati, in nouitate vite ambulabimus.* Quamobrem vobis,
qui in peccatis ac transgressionibus adhuc mortui estis, cum Apo-
stolo adclamamus: *Surge qui dormis, & resurge ex mortuis, & illu-
cescet tibi Christus,* Eph. V, 14. Vos vero, qui per Dei gratiam cum
Christo iam suscitati, & ad spiritali vitam reuocati estis, per-
gite cum Capite vestro ac Duce Christo in nouitate vite ambula-
re, ac re ipsa ostendite, vos mortuos quidem esse peccato, viu-
entes vero iustitia. Atque hoc facientes, animum vestrum ad
contemplandam gloriosam ex mortuis resurrectionem, quam
expectatis, identidem erigite, memores Paullini illius, 1 Theil.

IV, 18. *Consolemini vos inuicem hisce verbis!*

P. P. ipsis Feriis Paschalibus

A. MDCCCXXX.



Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78







84

ACADEMIAE FRIDERICIANAE
PRORECTOR
ET
CANCELLARIUS,
IOANNES PETRVS
A LVDEWIG,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS PORVS-
SIAE CONSILIARIUS INTIMVS,
CETERA,

AC
RELIQVI PROFESSORES,
CIVIBVS ACADEMICIS,
SIVE NATALIVM SPLENDORE, SIVE VIR-
TVTVM ET DOCTRINAE STUDIO FLO-
RENTISSIMIS,
SPEM VIVAM LAETAE RESVRRECTIONIS
AD VITAM AETERNVM BEATAM,
EX DOMINICA RESVRRECTIONE
EMERGENTEM,

IN PASCHALIBVS FERIIS

A. MDCCXXX.
PIE MEDITANDAM,
HVMANITER COMMENDANT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
LITTERIS LEHMANNIANIS.